



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Avstriæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70132)

# PROVINCIA AVSTRIÆ.

**A**VSTRIÆ Prouincia, quæ antehac Superioris Germaniæ, Poloniæque Prouincijs Societatem auxit, locorum inter nationes varias numero sic denuo excreuit, vt diuisionem rursus exigat, nouamque Prouinciam breui polliceatur, alteriusque non remotissimam spem præbeat. Hoc quidem tempore in decem disinctis nationibus, Collegia 11. Residentias 3. vnam Probationis domum, duasque Missiones distributa. Habet in Austria Collegium Viennense, & Residentiam ad S. Bernardum. In Bohemia; Collegia Pragense, Crumlouicse, Nouodomense, Commotouicse (hoc Misniam propius respicit) & Missionem Meseritzensem. In Morauia; Collegium Olomiticse, & domum Probationis Brunæ. In Vngaria; Collegium Sellicse, cum Residentia Thurocicse, seu VVaralieni in Sclauonia sitæ, Missionem præterea Darozicse. In Transyluania; Collegia, Claudiopolitanum, & Albæ Iuliæ. In Styria; Collegium Græcense, quod idem Prouinciæ seminariū est, cum Residentia Millstadiensi, in Carinthia. Carnoliæ; Collegium Labacense. In finibus Silesiæ; Collegium Glacense. Viuunt de Nostri in omni-



omnibus hiſce locis 364. Admiſſi in Societatem hoc anno 15. ad meliorem vitam migrarunt tredecim.

IN Collegio quidem Vienneniſi 53. & in hiſ Sacerdotes 22. Magiſtri ſeu Profeſſores tam Sacerdotes quam non 12. Scholaſtici Theologiæ tres. Philoſophiæ 12. Coadiutores 11. Ex hiſ conuictoribus adſunt; vnus Sacerdos, qui eſt regens, & quatuor Scholaſtici, qui præſunt cubiculis. In Reſidentia ad S. Bernardum 5. tres Sacerdotes, & duo Coadiutores degunt. Græcij numerantur 71. In hiſ Sacerdotes 23. Profeſſores 15. Scholaſtici Theologiæ ſeptem, Philoſophiæ 24. Coadiutores 11. Ex hiſ conuictui præſunt; Sacerdos vnus, iſque Regens. Scholaſtici quatuor, quorum vnus Regentem iuuat, alij cubiculis præſunt. In Reſidentia Miſtadienſi, duo Sacerdotes, vnus Scholaſticus, & duo Coadiutores occupantur. Præter Noſtris hoc tempore viuunt 22. Sacerdotes nouem, Profeſſores ſex, Scholaſtici Phyſici duo, Coadiutores nouem. Crumlouij Noſtrorum ſunt 22. Sacerdotes 8. Præceptores quinque, Scholaſtici Rhetores quinque, Coadiutores totidem. Nouodomum tredecim incolunt; Sacerdotes quinque, Magiſtri 3. Coadiutores quinque. Commotouitum numerat octodecim; Sacerdotes octo, Magiſtros quinque, Coadiutores ſex. In Miſſione Meſeritzenſi duo occupantur Sacerdotes. Collegium Olo-mucenſe habet Noſtrorum 28. Sacerdotes tredecim, Profeſſores ſeptem, Coadiutores octo. Domus probationis Brunæ numerat 49. Veteranos 16. in hiſ Sacerdotes ſeptem, Magiſtros tres, Coadiutores ſex. Nouitios ſecluſis pauculis, qui in Collegijs exercentur, 32. In Collegio Claudiopolitano viuunt triginta: Sacerdotes tredecim, Præceptores octo, Scholaſtici tres, Coadiutores ſex. Albæ Iuliæ ſex: Sacerdotes tres, Scholaſticus vnus, Coadiutores 2. Labaci ſunt nouem: Sacerdotes quatuor, duo Magiſtri, tres Coadiutores. Glacij agunt 14.



Patres, 7. Præceptores 3. Coadiutores 4. Sellię 15. Sacerdotes 5. Magistri 4. Coadiutores 6. Residentiam Vitzralliæ tenent 8. Sacerdotes 4. totidem Coadiutores. Missionem Dorotziensem duo obeunt Sacerdotes.

## COLLEGIUM VIENNENSE.



**A**NTE QVAM huius Collegij, quod 50. constat hominibus, industriæ refero monumentum, piè vita functos cursim attingam. Primus est P. Nicolaus Limburgius Leodiensis gradu Professorum, annos plures, & de Societate, & de pauperib. benemeritus. Alter P. Hieronymus Brassicanus Misnius colicis doloribus, & paralyfi extinctus, Archiducibus Austrię 10. penè annos gratus Ecclesiastes. Tertius P. Laurentius Loupius Lotharingus, Coadiutor spiritalis, qui dum hac Pragam transmitteret in Nosocomio miseris aures præbens venenum hausit, quo brevi absumptus est, vir omnimodæ Virtutis exemplar. Ultimus Elias Nitsch, Styrus, eruditione, & religionis bono conspicuus, is mense integro antequam accideret mortis diem manu sua consignavit. Viderat enim septimo Idus Februarij se per quietem à P. Limburgio haud multo ante vita functo, arrepto brachio trahi, hisque verbis admoneri: Mense abhinc me sequeris: ad quæ Elias aliud nihil quàm vt culpis eluendis tempus concederetur. Non vana fuit admonitio: nam ad initium noui mensis, dum Sanctorum de more patrocina distribuuntur, ei cum patrocinio D. Thomæ Aquinatis de morte sententia, virtus verò subiecta, mortis meditatio, sortitò obtigit: quæ elapso mense Non. Martij ipso die D. Thomæ sacro  
 quatuor



quatuor dierum morbo finem viuendi fecit.

IN horum locum sex alij tyrones adlecti. Triplicis concionis in singula festa, & Doctrinæ Christianæ, is est qui sequitur fructus. Confessiones totius vitæ exceptæ 76. ad solemnia Paschatis diuino mysterio referti quater mille, contemplatione spiritali edocti tres, ex his Episcopus Nitriensis Societatis non amicus modò, sed voto, ac voluntate socius. Hæresi dixerunt vale 160. vtrique speciei quinque. Mahometanæ stultitiæ quatuor, qui & ad sacrum fontem dispositi. Plurimi à sceleribus erepti laudabiliorem vitæ rationem instituerunt. Et quidem perfuga, & Religionis annos iam penè 12. desertor, austerius institutum, nempe Cappuccinorum complexus est. Alius post peractam quam multis annis subterfugerat confessionem, nihil optabat vehementius, quàm religioni se mancipare. Duæ desperata per medicos corporis salute, eam cælesti medicina recuperarūt. Nonnulli, ex quibus paralyticus annorum quinque voto D. Virgini ad Cellas nuncupato, ad valetudinem redierunt. Erat non nemi cum muliere diuinationi dedita familiaritas, à qua poculum accepit amatorium, cuius vi adeò fuit exagitatus, vt nec cibum, nec somnum caperet, atque identidem de vita sibi extorquenda cogitaret: demùm voto ad dictam D. Virginem emisso, & iterato Sacramentorum vsu, pristinæ est restitutus sanitati. Quinque quibus ob desperationem decreta fuit mors, ad sanam mentem reducti. Ex ijs vnum subijcio, & atrocis facinoris, & luculentum diuinæ misericordiæ argumentum. Vir quidam, cum facultates suas quotidiano decoxisset luxu, cacodæmoni se deuouit, Deo, & æternæ salutis nuncium remisit, quinques ad locum à tetro spiritu destinatum cum chirographo sanguine suo consignato accessit, vbi tamen dæmon sese spectandum exhibuit nunquam, qua fraude magis exasperatus acrius vtrique Deo nimirum, & Diabolo ma-



ledixit, utpote quorum auxilio non posset subleuari. Facinus ergo execrandum, quo sibi, matri, uxori & fratribus manus inferat violentas, meditatur: sed ut existatur singulari Matris pietate præpeditus conceptum illud nunquam perpetrare valuit. Verum enim ne proter fraudaretur voto, arreptum cultrum cordi infigere non coacta præter mentem infixit, vulnere alto satis, & hians. Ad hoc facinus accitus Noster horam, & amplius in homine reducendo frustra posuit, sed importuna adhortatio pertinaciam desperati tandem expugnauit, qui patris diabolicis penitus rescisis, & in templo nostro peracta exomologesi vitam in melius commutauit.

DVO insignes milites, cum duello commisso lethali ter ambo faucij è circo fuissent delati, è vita discesserunt sacramentis adiuti: alter quidem mox, alter non nisi multas Sacerdotis, & importunas preces. Alij duo à simili certamine deterriti. Pax redintegrata inter multos etiam viros primarios. Vxor marito derelicto reddita, filia profuga parentibus: libri prohibiti flammis absumpti cum chartis superstitionem referentibus: æris alieni mala fide possessi restitutiones factæ non pauca: statuaereque turpes sublatae: pauperum corpora elemosyna confirmata: animi spirituali cibo recreati. Duodecim capite ui ex diuturno carcere ad nostri petitionem demissis in premo supplicio traditis nunquam negatum solatium. Tandem optimi cuiusdam viri liberalitas quingentorum florenorum donatione inopiam Collegij subleuauit. De Scholis hoc addendum, quòd simul illæ, simul & conuictorum contubernium vigeant, discipulorum & florentia frequentia.



# COLLEGIUM GRÆCENSE.

**D**EGVNT in hoc Collegio 74. Omnes quæ Dei benignitas fuit si vnum, alterumve excipias bona vfi valetudine, cum in vrbe hac non pauci varijs morbis præsertim ardenti febris, ac dysenteria è viuis abriperentur. Vnus P. Christianus Numicius Neomagensis, litteris, ac virtute præstans, studio salutis hominum insignis, migravit ad Dominum ea sanctimonix significatione, quam à tali viro expectare par erat, cum annum ageret in Societate quadragesimum. In huius locum submisit nobis Dominus quinque, quosdam etiam alijs Religiosorum ordinibus. Omnis omnium cura fuit, vel in propria, vel in proximorum tuenda salute, fuitque Collegij cursus felix in scientiarum, ac virtutum profectu. Dominicis, ac festis diebus habitæ cõciones tres, interdum 4. non sine magno proximorum emolumento. Sacris Societatis nostræ meditationibus sex sunt exculti: morituris præstitum solatium: visitati frequenter, qui dysenteria laborabant, quorum hoc anno amplius trecenti vitam cum morte commutarunt. Visitatum hospitale, omnium aliquoties exceptæ confessiones.

**EXCVRSVM** ad pagos, virosque nobiles, habitæ ibidem conciones: auditæ confessiones. Non pauci in fide dubij instructi: in auita Religione plures confirmati. Diffidia capitalia inter personas non infimas sublata: domesticæ seditiones sedatæ: multi ad restitutionem adducti. Nuptiæ clandestinæ, Catholicorum more concelebratæ. Confessiones generales de omni vita, amplius centum audi



audita. Contra morborum vim, proque foetu obtinendo  
 valuere vota. Viri etiam nobiles verberare, ac cilicio car-  
 nem domare. Pœnitentium numerus circa Pascha  
 2233. Hæresi nuncium remiserunt 91. quorum non pauci  
 nobiles, viri primarij quique honestissimi. Ab utraque  
 vnam speciem reuocati septem. Quidam Christi fidem  
 paternæ prætulere hæreditati, à suis pulsati, quia Catho-  
 lici. Alius nobili loco natus procerum aulam, & mensam  
 studijs, bonisque moribus posthabuit, inter pauperes  
 mentis, non ventris curam gerens. Virgo Græcensis diuina  
 hæresi pertinax morbo, ac dolore ingenti vexata, numi-  
 nis iram, ac vindictam sentiens, è Nostris petijt Sacerdo-  
 tem, vt in quos, sic enim referebat, maledictis potissi-  
 mum peccasset, per eosdem à Deo scelerum veniam con-  
 sequeretur: conuersa ergo, & confessâ mox conualuit, ac  
 piæ beneficij memor diuini, viuuit. Vir nobilis adhuc hæ-  
 reticus, cæterum prudens, grauis, & de fidei controuersis  
 articulis iam tum cum Nostris agens, cum energumene  
 assisteret in exorcismis, eamque manu cum cæteris tene-  
 ret, vultu eius horribili territus secessit, nec rediit prius,  
 quam hæresim abiurasset, peccata confessione expiasset,  
 sacram Eucharistiam sumpsisset, tunc accessit constantis,  
 ac tenuit. Non iam, inquit, timeo, sum enim Christianus.

DE celebri mysteriorum vsu nihil attinet dicere,  
 sunt frequentes, qui octauo quoque die ritè expiati sa-  
 cramentum Eucharistiam sumunt. Inter hos primas sibi partes  
 iure vendicant Serenissimi Principes. Et quidem de sin-  
 gulorum pietate singulare censere lōgum esset. Sanè Fer-  
 dinandus, qui regit, ac imperat, quantum Sacramentorum  
 vsu, & sacra communione, quam sæpius frequentat, pro-  
 ficiat, ardens illius zelus erga Christi Ecclesiam, Catho-  
 licamque religionem demonstrat. Constâtissimum enim  
 Ecclesiæ & fidei defensorem se exhibet, nihil ferè medi-  
 tatur, vel agit aliud, quam vt fidem reducat amittam,  
 omnem



omnem hæreseos luem auertat. Anno superiore mense Septembri infoelicem Lutheranorum Ministrorum turbam exegerat: res susque deque abitura videbantur ad subsequens anni initium: nec defuerunt, qui causam suscipere proscriptorum. In generalibus enim Provinciae comitijs actum de eorundem reductione utque liberam Serenissimus faceret religionem: sed frustra licet trimestre, & amplius sua ob id protraxerint comitia, licet contra barbarorum incursum censum annum negaturi viderentur. Nihil omnino de sua constantia remisit Princeps, nihil timuit, nedum sacrilegum quid concessit. Fateor actum ab inferno hoste cum fraude occulta, tunc aperta rebellionem, sed fraudi diuinitus occursum, ut speramus: quippe detecta; metita est iniquitas sibi, subditorum sic sedauit rebellionem. Venationem instituit Serenissimus mense Iulio; duos ex nostris sumit sacerdotes, alterum à sacris concionibus cumque quatuor passuum millia ab oppido abesset Lutheranorum, praemisit, qui civibus nunciarent, verbi ministros quamprimum amouerent. Remittunt oppidani ad Serenissimum viros duodecim, qui eosdem prece conseruarent: sed his Princeps seuerissimè mandat, ut hæreseos inceptores omnino quamprimum discedant. Mox alij 6. mittuntur, qui alterum templum unam cum Ministro obtineant; Pernegat Princeps. Ergo abeunt lupi, oves deserunt. Serenissimus oppido propinquat. Ecce tibi virorum, mulierum, virginum, puerorum mille circiter amplissimo, pulcherrimoque in campo in genua prouoluti, supplices vno ore & voce ingeminant. Prædicantes. Subsistit Serenissimi comitatus auidè quid stultissimæ turbæ responsurus esset expectans. Hic Princeps vultu, & voce seuera & grami: Impij, cur me tanto afficitis merore? Nec possum, nec volo, quod stultè petitis concedere: Mox, cum suis pergit. In oppido omni excipitur humanitate, primum à

Trin



Principe occupatur templum, à Sacerdotibus reconciliatur, sacrum & concio à Nostris habetur. Ornatus templi inuentus est, casulæ 30. calices vndecim, caliculae, & alia sacra suppellex varia. In Lutheranorum testate hæc fuerunt annos omnino 40. Subsequenti eodem in oppido alterum receptum est templum: habet conciones de pseudopropheta, Ecclesiæ nothis, de omnibus fidei articulis controuersis; vt frequentes sic constantes aderant ciues: quatuor etiam continuas horas audiebant, suspirabant, flebant: optabant, vt 7. solum hebdomadas concionatorem nostrum obtinere possent, præclarum tum ibidem de religione actum iri. Tandem discessum parat Princeps: ciues Sacerdotem Catholicum cum ludimoderatore optauerunt, obtinuerunt. Cuius sex ad Nostrum venere concionatorem, grates habuerunt, flentes vale dixere. Serenissimus iã discedens hæc iudicibus & oppidi primatibus: Meminissent eorum, quæ pro concione audissent: si dictis forent audientes, se clementissimum eorum Dominum, ac Principem futurum; sin rebelles vestris, inquit, cauete, & timete capitibus. Ciues vicissim vouent, iurant se hæresum auctores, ac patronos nequam admissuros. Conuersi erant concionibus nonnulli, inter quos vnus è primarijs cæteris constantior, qui coram nostro Sacerdote flens in genua procidit, omnia se studiosissimè conseruaturum pollicens. Sed huius trecenti post Serenissimi discessum domum cingunt, eius ante fores patibulum erigunt, vt domum, vt oppidum deserat compellunt, Sacerdotem Catholicum, quem eis Princeps coram commendarat, templo euocant, ei claues eripiunt, oppido pellunt, sacrilegos reuocant. Hic Serenissimus rei indignitate commotus, nihil prius habuit, quam vt Dei Ecclesiæ, ac suum tueretur honorem. Ergo mittit Dominos Commissarios septingentis primùm viris, post etiam mille cinctos, tutosque. Non omnem initio mili-



gem viderant oppidani, nec enim simul aduentarat: ergo occurrunt armati ad medium ex oppido miliare, & licet numero plures essent, vix enim nostrorum aderant recenti, tamen partim verborum vi, partim armorum metu repressi, sedatiq̄ue, in oppidum secedunt, nostri templum repetunt, ipsi primum renuunt: erat enim natura loci, munitione, ac trecentis militibus septum: nihilominus vbi copiosorem nostrum cernunt aduentare militem, ferreis etiam indutum thoracibus, supplices claves ferunt, arma ponunt, priuilegia, ac prerogatiuas iussi tradunt, veniam petunt. Hic nonnulli scelerum auctores fuga sibi consulere, alij fraude egere, alij ad vincula, & eculeum rapti, vt de rebellionis capitibus, quod res erat, facerentur, quorum nonnulli post Græcium transmissi. His ibi peractis, rebusq̄ue vtcumque compositis suo cum milite Domini commissarij, alia petunt oppida simili rebellionē infecta, omnibus immunitates, nonnullis etiam arma erepta. Alibi Protestantium templa duo igne iniecto absumpta, tertium augustius, & celebrius, vbi hominis cuiusdam è proceribus Styriæ humata iacebat prolapia, puluere posito disiectum. Ac tandem tumultu omni, ac rebellionē sedata domum Nostri rediere. Vbique primum nouum præstitum sacramentum, quo fidem, ac obedientiam Serenissimo, eiusq̄ue posteris, ibidemq̄ue officialibus spondebant: tum pacem consilio, auxilio, procul omni rebellionē, deinde religionem auitam, & Catholicam, demum obedientiam Parochis (omnibus scilicet in locis Catholici sunt Sacerdotes substituti) atq̄ue hæc sub amissione bonorum omnium, vitæ, sanguinis. Adde librorum hæreticorum sex circiter millia sub patibulo exusta. Res suas constantissimè agebant Domini Commissarij prudentiæ, pietatis, religionis, consilij, auctoritatis nomine commendatissimi. Rebus sic ex animi sententia perfectis: Non nobis, exclamat Serenissimus

Prin



Princeps, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

POSTREMVM sit illud. Templum est in Vrbe Græcensi, omnium Sanctorum memoria, & patrono olim apud Catholicos celebre. Ab hæreticis istud trepta ab hinc annis occupatum, hæreseùm monstris dematatum profanatumque fuerat, vnicaque in hac ciuitate hæreticæ factionis, & concionum, in tota Styria verò nominata, ac celebris synagoga existebat, Gymnasio, ac schola hæretica exornata. Seminarium omnino erat fœtissimæ pestis in omnes has Prouincias. Hinc scilicet prodibant, qui hæreticorum more impijs functionibus destinati, & ministrorum Græcensium fulti testimonio hæc regiones doctrinæ suæ veneno corrumpebant. Igitur templum eiectis inde ante annum Prædicantibus, scholæque hæreticæ Rectoribus huc vsque occlusum Prouincialium hæreticorum potestate manebat; quod zelo Dei adductus Serenissimus ab hæreticis Prouinciis repetiuit, iure scilicet, & ex prima fundatione ad Catholicos, & se pertinens: quod cum illi post trinitatis scripto factam postulationem dare recusassent, armata manu, milite præsidario, & corporis sui satellitio visibus effractis occupauit, Catholicæ religioni per Episcopum reconciliari curauit, solemnique sacrificio Missæ, Catholicaque concione, Deo, sanctis omnibus, Catholicisque restituit: agunturque in illa officia diuina insigni hominò frequentia, nec minori animarum fructu. Quinque etiam librorum hæreticorum currus duabus ex officinis, quæ in domo Procerum Prouincialium erant, nostrum in Collegiũ, Serenissimi mādato conuecti, magna Catholicorum voluptate, hæreticorum dolore simul, & terrore.

FLORVERVNT scholæ auditorum genere, vt solent, & numero, licet eas pestis imminuere tentauerit, imò inferiores ad anni finem etiam dissipauerit. Litteræ, ac pietas pari studio iunguntur. R. D. Blasius Laubich Archiducum



chiducum præceptor solemnî ritu nostro in templo præ-  
 sèntibus Serenissimis Principibus, in nobilissimo Prælato-  
 rû, & Academicorû cõfessu sacræ Theologiæ Doctor est  
 creatus. Nostrorû quatuor è Theologia sacris sunt initia-  
 ti ordinibus, varijsque in locis diuersis Societatis nostræ  
 muneribus addicti. Alij pro gradu in Societate examina-  
 ti, alij Magisterij philosophici insignibus ornati. Arcus  
 erecti triumphales duo in reditum Serenissimæ Mariæ  
 Principis nostræ ex Hispania, voluntate, ac sùptu Serenif-  
 simi Ferdinandi, opera Nostrorû, ornati fuere emblematis,  
 epigrammatis, picturis: ex iisdem cantu, & carmine  
 excepta Serenissima, breuiter, eleganter. Post data D. Da-  
 masceni religiosa de Iosaphat, & Barlaam historia: pla-  
 cuit actio horarum septem. Qui Iosaphatum egit vestem  
 à Serenissima retulit splendidam, à Serenissimo gratiam,  
 & in litteris honestissimam promotionem. Alterum da-  
 tum drama in anniuersaria Gymnasij institutione de in-  
 felicis Vdonis olim Archiepiscopi Magdeburgensis mor-  
 te ac iudicio: actio motu plenissima erat. In flore conui-  
 cius noster fuit, siue numerum, siue pietatem, & in studijs  
 industriam, indolem, nobilitatemque spectes.

SPIRITVS sancti Sodalitas, quæ inter S. Pontifi-  
 cis alumnos ac conuictores est, ante Paschæ dies festos se-  
 pijs domi excoluit meditationibus, instituit flagellatio-  
 nes, pijs frequenter obtulit preces, ieiunia, varias corporis  
 afflictiones pro varijs Ecclesiæ turbinibus sedandis. Tres  
 huius Congregationis alumni affecti morbo, vnus apo-  
 stemate, ac diuturna fistula, medico iam desperante, alij  
 duo sanguinis continuo fluxu laborabant: hi vota animo  
 concepere, mox corpore conualuere. Ex iisdem quinque  
 pie, ac religiosè vita functi. Auxit hæc Congregatio sa-  
 cram suam suppellectilem ducentis amplius florenis, ac  
 tantundem pecuniæ cum à Serenissima Hispaniæ Regina,  
 tum ab alijs eiusdem Congregationis fratribus liberalit-



simè accepit. In pauperum studiosorum domo 60. opel-  
mi sunt adolescentes, qui in omni pietatis ac litterarum  
studio cedunt nemini. In huius domus subsidium com-  
buit Serenissima Hispaniæ Regina 640. florenos. Co-  
legio coemptum prædium vrbi vicinum, rebus domestis  
percommodum quatuor ferè florenorum millibus, et  
soluendo Serenissimus bis mille, & quadringentos dona-  
uit. Ecclesiæ nostræ suppellex hoc anno aucta plurimum  
liberalitate Serenissimæ Principis nostræ Mariæ, ac Mar-  
garetæ Hispaniæ Regiæ siue calices, & aulæ, siue vestes  
sacras, omnisque generis ornatum spectes, valor ac pre-  
tium vniuersorum bis mille, quingentos exsuperat flo-  
renos.

## RESIDENTIA MILSTADIENSIS.

**M**ILSTADII sunt è Nostris quinque, Sacer-  
dotes duo, totidem Coadiutores, Scholasti-  
cus vnus valetudinarius. Huius loci incolæ  
nostris subditos, licet vehementer à nobis,  
nescio quo errore alienos, & auersos initio habuerimus,  
sic tamen ratione, ac humanitate nobis deuicimus, vt ve-  
niam deprecati studiosissimè nos ament, ac venerentur.  
Ab hæresi ad fidem orthodoxam redière 40. Vsum cali-  
cis à quo sex tantum, vel septem abstinerant, omnino  
fustulimus: & hoc anno 180. sub altera solum specie  
communicantes habuimus. Cessauit etiam Nostrorum  
industria in alijs parœcijs ad ægros deferendi calicis  
consuetudo: cessauit Baptismi Sacramenti administratio  
hyemis tempore in triclinio. Foeminis aditus ad loca  
claustrum etiam publica interclusus, subditi à concionibus  
hæc



hæreticis, quæ vicinis in locis habebantur, reuocati. Aedes SS. Fabiano, & Sebastiano sacra olim profanata, reconciliata.

## COLLEGIUM PRAGENSE.

**T**OTO pestis furore è numero vnus & 30. duodecim mansere in Collegio: verum ex his duo media morte, vt pie credimus, vitam adepti sunt. P. Stanislav VVotreskouius, & Lucas Roll Coadiutor temporalis: ille ob infractum animum, & insignem charitatem peste laborantibus destinatus, & extinctus: hic verò Patris ægrotantis minister, & mortui pollinctor, breui eundem secutus est. Cæterum labori sua quoque fuit merces, quam nostri subleuando pauperum inopiam, inimicitias ad multorum vergentes interitum tollendo, damnatos ad mortem, & in desperationem ruentes consolando, perceperunt. Pugnatum est cum spectris, à quibus integram familiam agno cereo liberarunt, & domi cum tenebrarum operibus, ea hominum frequentia, vt vix omnes, quotquot domi fuerunt Sacerdotes sufficere potuerint. Memorabile est communicasse in templo nostro septies mille ducentos, generaliter confessos centum, hæresim deseruisse 125. Dabo vnum instar omnium. Doctor erat sectæ Lutheranæ Theologus, Prædicantis munere annos triginta amplius functus, Superintendentis (vt vocant) viginti, apud suos nobilis: hic Pragam aliud agens appulit, ad filium, quem in nostris habebat scholis, iam ab anno Catholicum. Rogat filius parentem, nostrum vt concionatorem audiat, &



multis precibus impetrat: audit, & videt multa se habere secus, quàm olim ipse docuerat: abit domum cælestem secum ferens laqueum: redit sæpius, & confidentius discit, quæ didicerat, ac tandem magno animi robore errat hæresim præsentibus nuncio Apostolico, Archiepiscopo Pragensi, legatis Illustrissimis Veneto, & Florentino, insignique Nobilitate: redditis insuper è superiore loco ad hanc rem præparato, rationibus suæ ad fidem Catholicam conuersionis. Hæc domi.

FORIS tertio ab vrbe milliario, vbi locus est peregrinatione celebris, centum & triginta confessiones exceptæ. Cœnobij cuiusdam Superiori sacræ exercitationes, reliquis verò religiosis de tota vita confitentibus aures datæ. Dynasta quidam cum coniuge, familia, oppidoq; penè integro Sacramentis donatus. Quæ demum sit Societatis existimatio, declarat virorum principum illustrium beneuolentia, dum non modò Nostrorum delectantur alloquio, sed etiam preces pro summis Ecclesiæ rebus obnixè exposcunt, & liberalitate sæpe collegij subleuant egestatem. Magnificus quidam Do. Iarollaus Smetziansky, Regni Cancellarij nepos & hæres, duobus millia aureorum nummum nobis superiore anno legatum, triennio se recepit daturum, iamque quingentos taleros dedit. Ad templi suppellectilè accesserunt apparamenta Sacerdotum, & altaris æstimata taleris quadringentis donata & corporalia septuaginta, theca elegans cum reliquijs S. Castuli, tapetes octo, sex alij serico intertexta Sacello verò Italico casulæ tres cum antipendijs munitis talerorum centum, & quinquaginta. Ad Societatis tyrocinium missus bonæ indolis adolescens vnus, Sacerdos vnus per quatuor vota solemnia Professorum coetui additus.



## COLLEGIUM CRMLOVIENSE.

**R**VMLOVII ob relictas è superiore anno pestis reliquias incertus fuit Sociorum numerus, exercitia eadem, quæ semper, fructu consequente non exiguo. Indicant confessiones tempore sub lege præfinito pene bis mille: ex quibus quid anni decursu factum intelligas: at vel à prima ætate omnes animi sordes deterferunt trecem deni. A Lutheri conuentu ad sacrum reducti ouile quatuordecim. Cuius vnus ætatis decrepitæ (nonaginta numerabat annos) leuitate, an delirio Luthero subscripserat: verum poenitentia ductus, præmissa totius vitæ exomologesi, redijt. Cum altera tantum specie communicarunt septem, & viginti. Fœminæ aliquot imò & viri turpem flagitiorum consuetudinem cum honestate commutarunt. In damnatos cura exitit non infructuosa, duo ad supplicium profecturi hæreticum rabulam pro cõsolatore obtrusum, ceu monstrum execrati, nostri Patris opera ad exitum vsque vsi sunt: liberati è carcere aliquot, plures idem flagitarunt beneficium, & quidem vnus, qui ante septennium Societati nostræ nomen dederat, sed mox inconstantia animi pedem in limine retulit, & aratro contempto retrò abiens vxorem duxit, quia cum vbi vix mediũ annum cohabitasset, ære alieno grauis in ergastulum est coniectus. Inde verò post longum pædorem, cum intercessione bonorum eductus esset fidei sponsoribus factæ immemor, vxore relicta turpiter profugit, diuina procul dubio lenem animum vindicta persequente.

SILEO alia quorum quiuis annus est ferax. Labo-



res nostros probis acceptos esse indicat liberalitas, tum in augenda suppellectile sacra, tum in Collegij paupertate subleuanda. Prius caput illa concernunt donatio paria simpulorum ex argento. Argenti & auri massa tertio pari ad bonam magnitudinem, & venustatem, rica quoque materie sacris vestibus quatuor. Legant pia quædam persona omnem suam substantiam ex patrimonio acceptam Collegio: exilem quidem illam: at viduæ illius Evangelicæ Deo gratam, & acceptam. Ad posterius pertinet primum Magistratus Crumloviensis benevolentia. Hic quamquam maiori ex parte religione à nobis dissidet, præterò tamen fuit cum rebus necessarium consilio ad pontis aquarum iniuria conuulsi, & quorundam aliorum in horto domui vicino restorationem Paris beneficentiæ laudem habet, & Reuerendus dominus Abbas aureæ coronæ Scholæ post pestem multorum approbatione restitutæ: discipuli pauci quidem, varii alacres & industrij: illorum duo Societati nostræ adscripti nonnulli sacris initiati, Ecclesiæ Dei suam probam operam.

## COLLEGIUM COMMUTOVIENSE.



COMMOTOVII fidem acceperunt viginti: Magister vnus VVitebergæ renunciatus pro quo dum in fide instituitur hospitij persolutum pretium, & abeunti viaticum datum. Concionum, Catechismi (qui quater insuper in hebdomada per Quadragesimam est habitus) excursionum in pagos ad B. Virginem Grupnæ peregrinatione celebrem, idem fructus, qui esse solet. Peste periclitantibus secreti sunt duo.



duo: totidem in Domino requieverunt : alter P. Iacobus VVernios Flander Coadiutor spiritualis externis, testante multorum fletu, imprimis charus. Alter Gasparus Cyrus Tubingensis. Pro his tres ad tyrocinium Societatis missi. Censur Collegij qui hoc triennio præstari à ciuibus propter damna incendij non poterat, Imperatoris optimi beneficentia iuxta litteras foundationis ex Camera numeratus est.

## COLLEGIUM NOVODOMENSE.

**M**ORATI sunt hoc in Collegio quatuordecim, intacti omnes percutiente Angelo viciniam. Addixit se Societati vnus. Concionum, ac reliquorum progressus qualis qualis laborantium solatur industriam. Nam lumen fidei Catholicæ acceperunt viginti, & vnus post graue ac intestinum à biennio secum certamen. In festis Dominicæ Resurrectionis expiati 546. à peccatis totius vitæ 75. calicem deseruerunt 19. Inualerat pestifera consuetudo, qua ciues relicto pastore proprio ad loca hæresi occupata Sacramentorum gratiâ sese conferebant: huic hac ratione itum obuiam, vt qui absque Sacramentis à legitimo Sacerdote susceptis è vita decederet, Ecclesiastica priuaretur sepultura. Offendit hæc res non paucos, maximè quòd cogerentur suos in locis profanis sepelire, iamque ad seditionem sese cohortabantur: sed rebellibus carcer dedit sapientiam, vt iam & Sacerdotes ad se vocent, & Sacramentis muniti è vita decedant. Illustris fundatrix, & filij heredis in Nostros animi propètio non modò perseuerat, sed augetur etiam magis. Enimuerò adiecerunt



ad Collegij proventus annuam quamdam pensionem  
 poenariam: ad fundationem verò prædium, & agro-  
 uitati proximos, quorum valor mille propemodum  
 leros attingit: aucta eadem quatuor syluis cæduis, quæ  
 copiam lignorum sufficientem perpetim Collegio sub-  
 ministrare posse existimantur. Pars item fluij ciuitatem  
 allabentis piscationi commoda nobis tributa est. Datus  
 & vsus templi Parochialis, in quo deinceps absque in-  
 commodo Parochi res diuina peragetur: cuius rei gratia  
 erectum est à fundamentis Sacrarium. Sex vrnæ vini,  
 centum libræ ceræ, 150. libræ olei ad sacrificium missæ,  
 & ad sacræ Eucharistiæ conseruationem quotannis al-  
 signatæ. Tandem centum talerorum elemosynam præ-  
 ter alia, argumento liberalis animi fundatrix Collegio  
 exhibuit.

## COLLEGIUM GLACENSE.



LACII numerantur tredecim, duplex co-  
 cio, Catechesis consueta, & reliqua Societatis  
 exercitia addiderunt Ecclesiæ nouem, quod  
 mirum videri possit, nisi nota sit Prædicantium  
 Lutheranorum pertinax in malo vigilantia; qui suos à  
 congressu Nostrorum auocant, & vt facilis descensus  
 Auerni, non difficile in peius sponte ruentes perturbat.  
 Qui tamen Catholici sunt tanto constantius iniurias fe-  
 runt, & frequentes ad diuina mysteria accedunt. Men-  
 Julio miles, hic erat iam in procinctu, vt ad castra per-  
 geret; verum vt qui Societati malè volunt, sibi, populoq;  
 ludum facerent, inducunt vtrò currentem, vt pugnae  
 initium sumat à Collegio. Venit miles acie disposita  
 præeun-



præeunte tympano, & fistula: per portas præclusas viam  
 vi facere parat, duce fabro quodam ferrario, modum  
 quo portæ perfringi possint doceat. Aditu primò vi pa-  
 refacto, cum impetus fieret in sequentem, Nostris eo  
 magis percussis quod videntibus Senatu, & Capitaneo  
 res ageretur, dissimulareturque: ortus repentè inter mi-  
 lites rumor est insidias sibi parari: deterritus fortè con-  
 cursu multitudinis nouarum rerum auidæ, quare recessit,  
 & pro palma risum vulgi retulit, & cachinnum. Illum  
 tamen qui militi classicum cecinit, vt & alios suasores &  
 adiutores non multò pòit vnà cum suis omnibus vis  
 contagiosæ huius absumpsit. Ecclesiæ suppellectili acces-  
 sit calix prægrandis, quem ciborium vocant, ex argento  
 exterius inauratus, emblemate vermiculato insignis.

## COLLEGIUM SELLIENSE.

**S**ELLIA, è Residentia hoc anno accepto  
 Rectore creuit in Collegium; in decursu So-  
 cios habuit vndecim, nunc alit 14. Gra-  
 uior fuit annus præsertim animalibus, è qui-  
 bus bonam partem nobis pestis depasta est. Angustia  
 Collegij aliquot mansionibus ampliata, templum Col-  
 legio porticu iunctum, vt commodè Nostris ad sacra ita-  
 re possint. Accesserunt & ædes exactis Nobilibus, inter  
 quos templo vicinæ adolescentibus decem, præter alios  
 tres Sacerdotio proximos, quos omnes alit Collegium,  
 & Scholis attributæ. Has enim augere oportuit ob stu-  
 dioforum frequentiam, quos primo anno numerauimus  
 prope trecentos, modò pauciores, quòd vicina loca va-  
 stans Tartarus cursum literarum represit. Sed ijdem



abacto metu reueniunt, eo numero, vt ad tres Grammaticæ Classes addenda fuerit Schola Poëseos. Spectant industria discipulorum tum in dramate, studiorum nouationi, cum præmijs diligentia præmissa, tum cum Illustres viros salutarent: quos inter Comes hæreticus admiratus adolescentum in dicendo peritiam: In sensum, inquit, ligno, & Iesuitæ docebunt ad perorand. Suus item pietati est locus. Vnus religionem S. Pauli ingressus: alij aliam expetunt. Fuit qui cum ad negandam fidem minis cogeretur, vitam & corpus obtulit, reuoluit corpus infirmum, vitam infirmam. Nonnulli ob abstantiam & ieiunium graves contumelias passi. Alii die Parasceues in templo sub noctem in corpora sua iuierunt. Bono exemplo sunt omnibus Reuerendissimi Nitriensis alumni, quos alit omnino duodecim: habet & Ecclesia Collegiata Nitriensis suos. Confessiones vniuersæ quæ domi, quæ foris auditæ propè octingentæ: de terra vita aliqua: aliæ à pluribus annis repetitæ. Ab hæreticis liberati quadraginta octo. Ex his milites duo Strigoniam ad mortem damnati: quos vnus è Coadiutoribus nostris isthac iter agens, & ad diuina mysteria suscipienda ixit, & ad extremum munere hortatoris prosequutus. Datus est oppido Parochus, qui nos eo munere quod hæctenus exequi cogebamur, leuaret. Cathedra tamen retinet Noster, è qua dum verba facit, resipiscunt plures. Ad Hungaricam concionem accessit sub anni finem Germanica Doctrina Catholica populo rudi tradita domi & peregrè, quod dum vnus facit ad Ministrum hæreticum tum concionem meditantem adit, operam suam pollicetur, & tandem à tergiversante extorquet ea lege, ne quid de Euangelio manè explicato differat, sed de differentia bonorum, & malorum Angelorum illud Apocalypseos assumat: Factum est prælium magnum in coelo. Auditus est cum auuiditate multitudinis curiosæ,

vbi



vbi si nihil aliud, hoc saltem effectum, vt homines humanitatem Societatis, & mendacia quibus Catholici ab hæreticis onerantur, agnoscerent. Pertinacior fuit alter Prædicans, qui tamen coram multis, dum necessitatem Baptismi negat infantibus, conuictus est: neque carnem, ossa, sanguinem, atque adeo substantiam hominis peccatum esse: neque quod addebat more cadaueris peccatum in terra putrescere, fuit hæc redargutio illi pudori, quem ostendit ira: alijs salutem, vt in tingendis sacro fonte paruulis diligentiam ponerent. Ad comitia Regni vocante edicto Cæsaris missi duo: quorum alter per Quadragesimam pomeridianis horis dierum dominicorum, & alias, vbi requirebatur, sermones habuit ad populum: vterque verò quantum licebat operæ salutis proximorum impendit. Ibi publico regni iudicio condemnati nobiles, qui sine iure ius nostrum sibi vendicabant: eorum agris, & domibus exolutis, ex oppido dimissi magna nos molestia liberarunt. Accesserunt templo donaria. Et quidam à Serenissima Maria matre cum velis quinque eleganter pictis calices duo argentei pulchro opere inaurati. A Serenissima Maria Christierna tertius cum simpulis duobus argenteis: à ciue Tyrnaniensi fertum gemmis intertextum: aliunde verò ad rem sacram, & librariam taleri centum, & octoginta. Renovatum cœmiterium. In Sacrario mēsa affabrè facta vestibus conseruandis idonea. Exitus anni luctuosus omnino fuit ob excursionem Tartarorum mense Octobri omnia circum flamma ferroque vastantium. Constans est fama ad decem hominum millia paucis diebus in diuam seruitutem abducta. Nostri diuina prouidentia & bonorum hortatu seruati omnes, & Turocij, & Posonij, duobus in Collegijs, è ciuibus amissus vnus duntaxat, qui dum per imprudentiam Martem vrget, capitur: reliqua licet periculis exposita, facta ramen, tecta que mansere



sere omnia. Ad primam Aduentus Dominicam Nummulo  
acta per supplicationem gratia : & oppido munito  
aduersus repentinos impetus fossa bene alta, lataque  
que aggesto aggere mense Nouembri datum initium.

## R E S I D E N T I A T V R O C I E N S I S.

**H**IC Sacerdotes quatuor cum totidem Coad-  
iutoribus, & domi & foris munijs parocci-  
rum ob penuriam Parochorum occupati. Ex-  
curritur dominorum rogatu, in maiores pre-  
sertim solemnitates, multorum non animarum modo  
solatio, sed etiam sanitate corporum. Hanc experus  
Dynastæ cuiusdam (non quidem Catholici, at ob nostri  
de Religione prudenter institutos sermones bene af-  
fecti) aulæ Magister, qui sacra exomologesi, coelestibusque  
cibi medicina vnâ cum coniuge è morbo conuulsum.  
Alius vir nobilis solo Sacramentorum voto in extremum  
penè recreatus, & votum exsoluit, & sanitatem plene  
recepit. Præstitum remedium Polono non ignobili, qui  
valetudinis ingrauescentis in thermis quæsito solatio,  
Sacramentis à Nostro perceptis illuc peruenit, & occa-  
sionem præbuit in plures inibi bene locandæ operæ. Ex-  
tremum adolescenti duo de viginti annos nato ingru-  
bat supplicium: is ne cum corpore, animæ amitteret vi-  
tam, laboratum à Nostri, vt qui ob peruicaciam repu-  
diato Sacerdote in certum ruebat interitum, verum  
precibus Sacerdotis ad Deum, eò adductus est, vt cum  
lachrymis sapius confitendi potestatem expeteret, qua-  
ritè perfecta duas horas in oratione ponit, tum ad qua-  
estiones raptus, cum nihilo plus quàm antè liberè pro-  
nunciat.



nunciasset, populi clamore absoluitur: at aliquanto post  
denuò ad supplicium repetitus, aeternum, ut spera-  
mus, euasit. Plura de rebus longius à domo gestis  
postea.

NVNC quæ domi aguntur, non quidem Societati  
vniuersæ, at nobis hoc in loco sunt consueta, quo perti-  
nent variæ, nec raræ per annum sub signis supplicatio-  
nes, ad auitæ fidei memoriam refricandam: quamquam  
ut hoc anno in singulas dominicas iterarentur, causa fuit  
bellum, crebra incendia, lues animalium, à qua nostrum  
territorium ferè immune fuit, villis vndique iam propè  
armento exhaustis. Addita oratio quadraginta horarum  
hactenus hic non visa, quo tempore Tartari populabun-  
di reliquam penè Hungariæ partem ingressi sunt, magna  
simplicioris huius populi die, noctuque frequentia: quam  
Scholastici non solum votis, sed etiam flagris volunta-  
rijs in terga sæuientibus promouerunt. Superstitiones  
Montanæ huic genti familiares repressæ: labores partus  
agno cereo mitigati: depulsa spectra. Cereuisia cuidam  
veneficijs, an aliunde instar bituminis constiterat: ea a-  
qua lustrali, & sale insperso restituta. Duo virtute Extre-  
mæ vnctionis à morte penè ad vitam reuocati. Genera-  
les confessiones exceptæ amplius viginti, ex ijs quatuor  
eorum, qui recens ad Ecclesiam adducti sunt, ad quam  
eò difficilius se adduci patiuntur, quod Prædicantes non  
modò auersentur, sed nominatim e pulpitis diris deuo-  
ueant, quos vel indicium orthodoxæ Religionis habere  
aduerterint. Exculti & duo Sacerdotes à vicino nobili  
missi, ut rebus spiritualibus animum apud nos prius  
formarent quàm primum Deo sacrificium offerrent, &  
munia Paroeciarum susciperent. Postremò hospitalitatis  
munus exhibitum, non pauperibus modò, religiosisque  
viris: sed Prælati etiam, ac Principibus, inter quos se-  
renissimus Maximilianus, & Serenissima Christierna:  
quibus



PROVINCIA AVSTRIAE,  
quibus in domo nostra ad paucas horas, & locus, &  
prandium datum.

## EXCURSIO PRVSCENSIS.

**P**RVSCII expurgata superioribus annis  
per nostrum Sacerdotem hæresi, eiusdem  
necessaria hoc anno fuit opera: siquidem  
Parochus ipsa nocte Paschatis gravissimè  
secundum aurem in propria domo à latrone (cuius  
invidia submissus fuerit incertum est) sauciatus decum-  
bebat: ergo vniuersus labor humeris Patris incu-  
buit, quem tulit non sine fructu confitentium & ad Ec-  
clesiam redeuntium; quos inter senex fuit, qui ob deu-  
exam atatem oculis captus fidei lumen aspexit, & con-  
scientiæ tenebras totius vitæ confessione depulit: Is ve-  
teribus amicis exosus in Nobilis cuiusdam Catholici  
benignitate conquiescit. Populi huius grata voluntas,  
vel ex eo apparet, quòd mense Iulio pro Sacerdote  
nostro, quem agrotare inaudierat, communes ad Deum  
tanquam pro parente suo preces obtulerit, quas Deus  
exaudisse videtur, reddita eidem citò salute.

## EXCURSIO MITTICENSIS.

**M**ITTICAE Trenchenium inter, & Nitriam  
Paroecia sita est quatuor constans pagis, an-  
nis iam amplius triginta Lutheri spiritu ob-  
fessa, eius administrationem adeptus D. Ioan-  
nes Madorzany auxilio Episcopi Nitriensis tanquam or-  
dinaris



dinarij, populo verum pastorem pro prædione dedit, & unum è Nostris, qui Parochi ægri vices obiret euocauit. Laboratum mense Augusto pro viribus: iacta fidei fundamenta apud agrestem populum, & hæresi penitus infectum. Multi veritatem agnouerunt, veterem religionem rediisse gratulantes: tres confessi, & pane cœli relecti: alij pertinaciores in suo errore visi. Renouata Catholica religionis memoria, Noster, cura relicta Parocho domum reuertit morbo affectus, tum ob Augusti calores, tum ob rerum necessariarum penuriam. Ita enim Prædicans è cathedra ad stiuam abiens parœciam expulsum deseruit, vt ne fenestras, aut portas integras quidem reliquerit.

## MISSIO DA- ROCIENSIS.

**I**N hac Missione modò duo nostri Sacerdotes agunt: quorum alter solus biennio fere prior eibidem Caluiniano furori expositus fuit: cuius vel hoc fuerit argumentum. Inuitatus ab agro Catholico Sacerdos per hominem Caluinisticè hæreticum, qui litteras habebat ab vno buccinatore ad alium, per cuius oppidum eundum erat, perferendas: quid litteræ voluerint probauit euentus. Nam vbi ventum ad oppidum est, comes hæreticus Patrem præcedere iubet, dum litteras concionatori tradat. Ijs perlectis: Euangelij præco sollicitare hominem ad trucidandum Sacerdotem: ille verò resistere, & se hominis innocenti interfectorem esse nolle: tantum valuit pia per iter sermocinatio, dum Noster comiti suo inter reliqua Decalogum, & huius quartum, quintumve præceptum efficacius

cuius



caciùs inculcaret. Affecutus deinceps Patrem odiùs buccinatorum non sine auersione exposuit. Tentata cædes & per alium Nobilem, à quo duo famuli stricigladij ad Nostrum eodem tempore diuinas horas introituulo persoluentem missi, sed ab ingressu horti quibat diuina virtute absterriti cõtumelijs iniectis recurrunt. Similes tamen conatus Capitaneus Casareæ Maffatis vir Catholicus nonnihil compefcuit.

UTILITAS quæcumque est, peregrè in decurrit posita est: ieiunia, festa, confessiones mirum quantum populus hic Calvinisticus horreat, adedò libertati carnis affuetus à puero. Matrimonia Prædicantes vānum exponunt: nullum tam ratum est, quod accepta pecunia non dirimant: nullum tam irritum, quod non confirmet quod malum præcludit viam plerisque ad Ecclesiam. Rerum diuinarum mira ignorautia, vt abolitis per hoc Iconoclastas imaginibus, si pendentis è cruce Christi ostendas iconem, alij, quid rei sit, ignorent, alij lignum Papistarum Deum esse dicant. Redierunt tamen ad Ecclesiam inter tot Prædicantium maledicta, quæ in Catholicos circumsonant octoginta: quorum duæ mulieres, altera iam agens animam confessa est: altera delictorori ad honestatem traducta. Tres item senes: primus iam plures dies derelictus, tandem Nostro infirmos querenti, extremo cum morte luctamine oblatus, cum peccatorum venia catholicè discessit: alter actus desperatione, quamuis morbus inhiheret, fugit tamen in agrum, vt Sacerdotis vitaret conspectum: sed reductus deposita perfidia, & graui in proximum odio tranquillitatem recepit. Tertius demũ cũ post latrocinia, cædesq; malle se mortem æternam diceret, quam confessionem, acceptis sacramētis cum corporis incolumitate sanam meritum induit. In exequijs Comitiss cuiusdam Catholici habitata concio magna procerum frequentia, in ea D. Ioannis ver



nis verba: Beati mortui, qui in Domino moriuntur: qua Catholicis spes addita, hæreticis metus. Res ad Magna-tem eius Prouinciæ insigniter hæreticum delata, adeò eius animum exacerbauit, vt diceret neminem ex eo numero fuisse virum, qui Catholici Sacerdotis dicendi libertatem, aut voce, aut ferro repressisset.

MISSIO NE-  
DEZENSIS.



OMINVS Daniel Pongratz illustris nobi-  
litas annos plures Nostrorum opera vñs,  
domum Nedezi in comitatu Trenchinensi  
destinarat, quo ipse cum coniuge, familia, & è  
vicinia etiam alterius Domini pagani ad res diuinas  
conueniret: augebatur sensim numerus auditorum ad  
quos propalam verba facere numinis beneficio aliquan-  
do licuit. Oppidum est Varina passibus Nedezo bis mil-  
le in duos fratres Catholicum, & hæreticum partitum;  
præcipuum ius est Danieli Catholico, nempe seniori: ibi  
parœcia opima; sed annis iam triginta Lutheri coeno-  
foeda. Excesserat proximè è vita Prædicans, cui extem-  
plò in tanta PseudoApostolorum multitudine contra-  
ius, fasque subrogatus alius: ferijs Paschalibus nouus  
Minister facundiæ daturus erat experimentum: conflue-  
bat certatim vel temporis sanctimonia, vel nouitatis  
studio multitudo, quam ex editiore loco conspicatus, &  
miseratus Noster, ad spectaculum euocato D. Daniele:  
En, inquit, quanti isthic etiam ex tuis ad perniciem, &  
zternas tenebras properant? nos interim cum lumine  
in angulis delitescimus, & tamen primum illius loci ius  
tenemus. Non furdo dictum: properè conscenso equo,



stipatus satellitio Varinam contendit, & templum per  
 refertam ingressus turbam, ad buccinatorem nescio quid  
 tum magnificè crepantem: Heus tu, inquit, latrare  
 ne, quis enim te hoc ut agas aduocauit? an ego pri-  
 rius huius & oppidi, & ædis hæres non sum, ac domini  
 Obmutescit ad ista ille paulo antè facundus: è populo  
 stupent, & mirantur, illi diffuunt, alij indignantur: frater  
 præsertim cum aliquot nobilibus: postremò cum iuribus  
 disceditur. Iussi oppidani ad condictam diem quæ erat  
 proxima Dominica reuerti, Catholicum Sacerdotem  
 audituri confluunt frustra: nam per vim ab ædis curato-  
 re abreptæ clauis. Edictum interim, ut omnes domestici  
 Sacellū rei diuinæ causa in posterum accedant, nisi male-  
 mulari, & fortunarum pati iacturam velint. Res de  
 ceptis variè acta: hæreticis in Prouinciæ iudicijs (Sedes  
 appellant) pro arbitrio causam decidentibus: resistens  
 verò fortiter Daniele, ut quibus in negotio Religio  
 nihil esset iuris, neque constaret iudicium ubi idem es-  
 set accusator, & Iudex: Catholico verò fratri germano  
 ad tribunal Episcopi Nitriensis, cuius Diocesi parochia  
 subest, diem dicente; Triumphabit, ut speramus, causa  
 qua Dei agitur gloria. Nam quamuis Magnates Luthera-  
 ranum Prædicantem iniecerint, fracti tamen sunt eorum  
 animi, qui quiduis subeant facilius, quàm coram Ecclē-  
 siasticis. quibus summa est in Regno auctoritas, causa  
 dicant. Dum Noster felicem rei exitum præstolatur  
 cepit confessiones quinquaginta, data publicè Euchari-  
 stia, idem expetentibus amplius ducentis, coenas, diebus  
 ieiuniorum quæ inoleuerant, abrogat. Festis, quæ ad me-  
 ridiem modò celebrabantur suam solemnitatem, Ange-  
 licæ verò Salutationis pulsus iam olim intermissus re-  
 stituit: capitales inimicitia inter nobilissimos coniuges  
 sedata.

INCREBUIT latè Catholicæ religionis hoc  
 breu



breui spatio fama : adeò vt tres pagi Domino hæretico supplicem dederint libellum , quo & Catholicos Sacerdotes petebant , & de suis Prædicantibus querebantur, quòd priscos ritus aboleant : præsertim verò quòd Beatissimam Dei genitricem ore sacrilego meretricem appellare audeant. Habiti ob has preces seuerè à Domino, persistunt tamen, & modò clam , modò palam Nostrum adeùt. Vigilat interim & Pseudoparochus post carecta, & quorum non potest esse vindex, fit accusator. Relatus est aliquis ob laudatam impensius veterem Religionem, & carceri mancipatus : post datas sufficientes , vt arbitrabantur poenas, dimittitur : ille à carcere rectà ad Sacerdotem animam carcere soluit , & liberatorè Christum publicè accipit. Noua occasio criminis apud Dominum in hominem crudeliùs stomachantem. At ille, En Domine: inquit, seu bona, seu caput, siue malis vtrumque Lutheranus ampliùs non sum , Catholicus morior: dedit libertatem homini constantia. Alter inconstantior, fuga, ne eiurare fidem cogeretur, sibi consuluit. Verùm & alio criminator, quo plures haberet reos, vsus est artificio: Catholicos omnes, quos suspicabatur in sacrarium includit, Lutheranam confessionem fateri iubet : præit, nemine subsequente, vrget omnibus obfirmatè tacentibus: iram minatur Domini, illi contra se pariter habere, quorum eum apud Dominum accusent. Hic malè conscientius innocentes à se dimittit. Ad hanc populi constantiam hoc addo , quod cum nobiles plerique duodecim florenorum mulctam edixissent, si quis ad sacra adiret, eodem, & Dominos adduxerunt, & liberam sibi veniendi potestatem impetrarunt. Vir erat locuples, qui vt suos à Nostro auocaret minus suscepit è Postilla concionatoris: sed conuentus à Patre se cum suo auditorio ipsi erudiendum dedit.

COETERVM hanc Missionem impetrasse videntur



tur boni senes, qui renouata religione Salutare Domini videntes in pace emigrarunt. Ex his bonam partem vnus egerat in hæresi: sed properans ad mortem relicto hæretico nostrum accersit Patrem, munitusque Sacramentis decessit. Anus centenaria viginti annorum (transfluxerant à pulsis Sacerdotibus) facta confessione cum cœlesti viatico læta reuixisse fidem, perrexit ad Dominum. Alteri votum sacramentorum priusquam Sacerdos adueniret, viam ad cœlum præbuit. Nec defuit qui dum se ad extremum communiret certamen, cum animæ salute insperatam corporis reciperet valetudinem.

## COLLEGIUM LABACENSE.

**L**ABACI duplex nobis fuit periculum: alterum ab hæresi: à peste alterum. Hæresis mater seditionum, quamquam in omnes Catholicos; in nos tamen præcipuè infœlicem suam prolem concitauit: vtpote quos auctores credidit, & hortatores Archiducis Ferdinandi in exturbandis post quinquaginta demùm annos, quos hinc grassati sunt, buccinatoribus. Pertinax admodum est hoc malum, vbi semel inualuit: ita post pulsos Ministros nihil erat, siue Nobilitatem spectes hæreticam, siue ciues, quod non esset turbatum, & spirans minarum. Nam illi quidem non Catholicis modò infesti: verumetiam Principi rebelles, Prædicantes in arces suas acceperunt: hi verò aperto acti furore, & munus rabularum in concionibus vilissimi quique susceperunt, & nihil non mali, quod Catholicis inferre poterant, intulerunt. Tempestas in Nostros erat huiusmodi. Conuenerat quibusdam Collegium in-  
uadere



uadere, quotquot essent Societatis occidere, & in profuentem proijcere: iamque in angulis per ciuitatem armati, quin pro ipsis Collegij foribus constiterant, ut præter ipsam cædem nihil deesset: tum monentur per amicos, cauere armatorum infidias. At Nostri nil tale paulò ante veriti, luminaribus tota nocte per domum relucens, in eam aduersarios pertraxerunt opinionem, ut arbitrarentur externa illos Italorum adiciuisse auxilia, quare in præsens destiterunt à cœptis. Initur aliud patranda cædis consiliù, nõ nostro solùm, sed etiam aliorum detrimento. Meditabantur incendium, ut eo in concursu subito Nostros obruerent: res iam pluribus innotuerat, cum ecce in vicinia proximè nostras ædes flamma exoritur: ibi concurrere amici, fugam meditari, incendium apud nos, atque ab ijs quibus id erat propositum factum esse rati. Vestigabatur iam aditus ad nostram domum: at lux tenebriones eodem, quo antè modo à proposito auertit.

ALTERVM malum pestilentia totam penè Carniolam vexauit. Et Labacum quidem ad veris initium rure redijt, quo hyeme superiore excefferat, tantisque aucta est incrementis, ut hic quidem non plures trecentis absumeret; at foris tam multos, ut quibusdam in locis agri non haberent, in quorum falces maturas segetes deponerent. Ad hoc periculum secesserunt Magistratus: quæ causa fuit, cur hæretici, & Prædicantes impuniùs ad ipsam vsque urbem baccharètur. Nostri ob luem dispersi quidem, intacti tamen omnes duo solùm è fratribus rei domesticæ adiutores, diuturnis morbis conflictati, diem suum obière. Adfuit tribulatis nihilominus à Diuino Numine solatium. Nam hoc anno apertè omnes hæretici è Senatu moti, & Catholici substituti sunt: quos ut haberent, opportuna fuit quinque familiarum recens ad fidem conuersio. Concio Germanica in templo, quan-



uis Scholæ, & Catechismus desinerent, intermissa nunquam. Numerum confitentium non perscribo, qui quantum fuerit colligi potest, tum ex periculo pestis, cui quoque propinquior tantò suæ salutis est studiosior: tum ex libello, quod Episcopus Labacensis suæ diœcesi à Sanctissimo Clemente VIII. impetrauit. Trium matronarum illustrium illustris fuit præ reliquis conuersio, quarum vna dissolutis Lutheranorum à Nostro argumentationibus, contempto patrimonio, suorumque odio, fidem amplecti Catholicam. Altera non multò postquam nuncium Luthero remisisset, in summis doloribus insigni patientia in viuis esse desijt. Eius exequiæ studiosorum Nostrorum numero, & concione celebratæ: qua sublatis sunt quorundam è vulgo sermones maleuoli, qui diuinitus ob desertam religionem punitam esse dicuntabant. Tertia splendore natalium non inferior; ob persecutiones propter fidem etiam sublimior. Duos alebat in nostris Scholis filios; qua re ad eò nobilium in se odia exacuit, vt filium alterum, dum ad Scholas duceretur, vi currui impositum, ad arcem quandam abduxerint, ipsique matri postea struxerint insidias. Nam nihil metuentem die Dominica in arce, in qua degebat, inuadunt, immanitate summa vincitam concludunt in carcerem, nec ab ipsis quoque tormentis abstinent. Verùm hæc omnia fidem eius probarunt quidem, sed non superarunt. Accessit quoque templo munus in calicibus, & vestibibus sacris à Serenissima Archiduce Maria matre, quingentis aureorum nummis æstimatum. Reliqua quæ communia sunt, prætereo: vt etiam studium officiumque Nostrorum desperatis penè rebus pro tuenda parte Catholicorum adhibitum, fructu labori, conatuque egregiè respondente, quem diuina Bonitas augere, conseruareque dignetur.



# COLLEGIUM OLOMVENSE.



LOMVITII anni principio fuere 46. pau-  
ciores postea, vbi pestilentia non secus quam  
pleraque alia. loca urbem affligere coepit.  
Nam ex ijs amplius viginti relictii in Colle-  
gio, caeteri vt periculum euaderent ad loca tutiora mis-  
si sunt. Hac in re magna fuit Canonice Ecclesie Ca-  
thedralis in Societatem beneuolentia, quorum beneficio  
arx Episcopalis Kelzscium Societatis personis concessa,  
in qua aliquot hebdomadis hasere duodecim, ita com-  
mode, vt sua exercitia studiorum, & spiritus non secus,  
ac si in Collegio essent obierint: conuictoribus vero in  
oppido Budisconia domus Prætoria designata, quibus  
cum tres è Nostris publicis concionibus, & sacramento-  
rum administratione plurimum oppidi ciues sibi deuin-  
xere. Conuictoribus vti tempore recessus, nec disciplina  
nec pietas defuit: sic nec studia, exercitationes quotidia-  
na, pro varietate auditorum, & classium. Nouembri men-  
se apud ipsos renouata studia cum diligentiorum pro-  
mouatione, & premio. At verò ijs quos domi remansisse di-  
ximus, quo maior fuit ciuitatis luctus, & vastitas, eo ma-  
ior oblata est occasio de ciuibus bene merendi, qui suos  
vix spirantes inter brachia ad Nostrum trahebant tem-  
plum sacris mysterijs muniendos. Deerat videlicet iam  
Parochorum opera, tribus Sacellanis, & Parocho vno de-  
functis, & altero grauiter decumbente, segregatus ad  
hoc potissimum Sacerdos vnus, quotidie ab exorto sole  
ad occasum ædes funesta contagione infectas oberra-  
uit, confessiones excepit, morituros solatus est, sanus se in-



per, & incolumis. Cum verò passim multi pauperes, & peregrini in plateis, portis, aliisque ciuitatis, & suburbij angulis, omni solatio, & auxilio destituti iacerent, ac in sola laterum officina ad ædem S. Crucis, 73. circiter infirmi vnâ decumberent, qui partim peste, partim fame conflictarentur, actum cum ditioribus ciuibus per Nostrum, vt miseris eleemosyna subuenirent, quæ admonitio, crebræque concionatorum è superiore loco exhortationes tantum effecere, vt data per pios homines proprijs manibus eleemosyna centum quinquaginta taleros attingeret. Abstulit hæc lues hominum millia quatuor: singulari tamen beneficio Collegium vix attigit, vnico P. Guilhelmo Dretschoff excepto, qui dum sacris concionibus plebem institueret, & in excipiendis confessionibus assidue versaretur, hausto veneno pestis, repentinò extinctus est, post annos in Societate vnum & viginti magna sanctitatis, & doctrine laude peractos. Obijt & P. Tobias Prochelius quatuor votorum professus, cui lenta tabes finem attulit ipso D. Francisci die, quem Extremæ vnctioni præfiniuerat. Tentati sunt varijs morbis plures alij, vt nempe difficili hoc tempore non deesset, illis quidem patientiæ, alijs verò charitatis exercendæ occasio.

SCHOLAE anno priore sine solemnitate publica, auditorum tamen nobilitate, & frequentia inchoatæ ad medium ætatis dimissæ sunt, qui decurso Philosophiæ studio Magisterij lauream spe conceperant, eadem frustrati: multi adolescentes insignes, qui animum ad Societatem adiecerunt, ob retardatum tot malis P. Prouincialis aduentum dissipati. Vnus maioris desiderij P. Prouincialis legens vestigia voti compos effectus est. Verùm quis fuerit toto anno animarum cultus exponendum. Et præsertim quæ foris sæpe apud Proceres & Prælatos ad animarum salutem acta sunt, domi consueto maior fuit confitentium, & communicantium numerus, ita vt generales



rales ducentefimum excefferint. Foeminae ad partum graues à multis milliaribus Sacramentorum causa huc se contulerunt. Statuta inter coniuges pax. In carcere constitutis, & supplicio adiudicatis datum solatium. A diuersis haeresibus redierunt circiter septuaginta, ad alteram speciem centum, & duodecim. Vir erat nobilis pene sexagenarius eruditione, & opibus inter Morauos clarus, secta à prima aetate Thaborita: is postquam cum diuersis Societatis nostrae Patribus pluribus iam annis variè de rebus fidei controuersis contulisset, nec tamen veritati cessisset, peste correptus vltro pridie mortis magna ciuium admiratione ad templum nostrum venit, vbi haeresi, & peccatorum totius vitae sarcina cum lachrymis deposita coelesti epulo inspectantibus omnibus refectus est. Testamento verò cautum reliquit, ne filius, qui superiore anno Ecclesiae nomen dederat in conuictus nostri disciplinam receptus, alibi quam vel in Societatis nostrae scholis, vel in Academijs, quas Societas ipsi praescriberet, studia absolueret. Legauit & pauperibus ordinariam in annos singulos eleemosynam Nostrorum arbitrio distribuendam: etsi forte filius ante pubertatis annos vita excederet bonorum omnium conuictum heredem esse voluit. Ex ijs qui veritatem acceperunt fidei, fuit & famula ciuis haeretici nescio quo casu infelix, daemone hospita facta, quae cum à domesticis nec verbo Lutheri ad saniolem mentem reduci, nec vi contineri posset, ita vt perpetuae adhibendae essent custodiae, ne vel alijs damnum inferret, vel seipsam in flumen praecipitem ageret, accersitur vnus è Nostris, vt ritu, medijsque Catholicis à maligno spiritu ancillam eripiat. Adfuit Energumene Pater, ac post multas preces, crucis sacrae, lustralisque aquae remedia blasphemias retulit voces, & opprobria. Sedato tamen aliquando patientia furore, annuit bene monentibus, atque conscientia Patri detecta Sacramentum Eucharistiae accipit, moxque à



molesto liberatus hospite. Apparuit deinceps sæpè malignus spiritus variè transformatus: verùm detectis fideliter confessario tentatoris machinamentis, ab importuno hoste quietem consecuta est. Quod ad templum attinet, hoc anno varia preciosaque suppellectile auctum est. Vir magnificus vxoris voluntati satisfacere cupiens numeravit templo nostro taleros trecentos. Et hæc quidem Olomurij.

## DOMVS PROBATIONIS BRVNENSIS.

**B**RVNÆ numero plurimum 70. sed eorum, vt notum est, duplex ordo, Veteranorum, & Nouitiorum. Illis in labore cum cæteris Collegijs conuenit. Nam & scholas habent, & in multorum salutem concionibus audiendis, confessionibus, Nosocomiorum, Xenodochiorum, & carcerû visitatione, varia ad diuersos excursionem libèter simul, ac vtiliter occupantur. Cuidam hydropisi tumenti confessio, & communio, alteri ægroto Extrema vnctio incolumitatè dedit. Ecclesiæ redditus pene 50. quos inter primas ciuitatis cum coniuge, & ferè tota familia, cuius quò maior est auctoritas, eò exemplum ad imitationem illustrius. Ad communionem vnius speciei sunt inducti decem. Tyrenibus accesserunt hoc anno quatuor supra viginti, sed cum post experimenta Societatis ad Collegia missi ab omnibus Dei, & Societatis elucet amor, si tamen celebriora audire placet, hæc sunt.

**M**A T E R vidua filium in Probatione habebat vnicum, de cuius vocatione dubia per litteras, & nuncios, ac tandem coram deprecata est, vt de statu suo voluntatem Dei diligentius perquireret: at filius iuramento se in



ea ipsa, quam elegisset Societate viuere, ac vitam finire velle testatus est, animumque maternum sua constantia ita immutauit, vt fufis præ gaudio lachrymis filio, & diuinam benedictionem, & ad finem perseuerantiam à Deo precaretur. Duos pono simul (quia ambobus eadem vocationis ratio: ambo enim diuino renitentes instinctui, maiore victi gratia periculum euaserunt) alter quidē cū duarum hebdomadarum spatio ter à morte præfenti, semel quo minus effoderet oculum præseruatus fuisset: alter ob nuncupatum, nec tamen solutum de suscipienda religione votum graui morbo vltionē diuinā persensisset. Faciliores alij duo, quorum vnus vehementi affectus ægritudine, votum emisit, sanitatem adeptus est, Christi iugum lætus in Societate subiuit: alter apud Principem à proprio parente inobedienciæ accusatus, triduanis vexatus carceribus, si forte præ religione aulam eligeret, ac demum bonorum precibus liberatus, post secutam breui parentis mortem, optatam ad salutem in Societate viam arripuit. Rogatus à magnifico viro quidam, vt Hieronymi Plati de bono status religiosi librum è Latino in Bohemicum conuerteret, qua in occupatione ita religionis amore captus est, vt tanti boni, quod scribendo meditabatur, se primum participem esse exoptarit: receptus est in reliquorum numerum, inter quos perseuerantiam bonis indiciis pollicetur. Vnum adhuc hinc reddam, eo maiori forte dignum admiratione, quod à parentibus ad eam vitam sit animatus, ad quam alij suis liberis aditum præcludere solent. Iuuenis fuit Catholicis ortus parentibus, ab iisdem sæpius admonitus, vt se Deo religiosè consecraret. At verò cui liberum fuit, quod proponebatur eligere, magis que placeret libertas, neglecto parentum consilio, ipsis etiam litteris nuncium remisit, magistrumque à quo mechanicam artem disceret elegit. Moritur interea mater, ac biennio post quam vltimum obiisset diem in-

tempesta



tempesta nocte quiescentem filium aggreditur, candelam accensam manu præferens, lachrymas vberimas effundens: inuasura natum nisi restitisset furibundæ auia, quæ iuueni cum familia subsidio venire visa est. Ad hæc tamen non modò non est territus ille, verùm etiam matrem contemnens, in risum solutus, candelam quam manu gerebat excutere nitebatur. Cui mater: Tunc lumen hoc mihi eripies? Ad hoc certamen euigilat adolescens, plenusque formidine quàm primum potest auia quod per quietem viderat exponit. At illa candela, inquit, accensa matrem in Purgatorij poenis detineri demonstrat, cui per tuum in religionem ingressum liberationem, salutemque impetrare poteris. Ita ille inter Religiosos ordines Societatem præ cæteris elegit, in qua diuinis consolationibus ab eo tempore frequentius recreatur. Porro quamuis illud sit proprium tyronibus, vt in mores Societatis formentur, interdum tamen, ad formando rudiores, & iuniores domo mittuntur, quod fecerunt per totam hyemem in pagis numero decem. Ibi præcipuum est modum precationis, articulos fidei, vsum confessionis, & communionis exponere, & quæ pietatem concernunt ad populi captum explicare. Sublatæ sunt in hoc studio consuetudines quædam malæ, bonæ introductæ: præsertim verò perpotationes, ad quas rudis populus à labore vacuus diebus festis, temporis fallendi gratia conuenire solebat. Qui singulis Dominicis ad hanc doctrinam accedunt, numerantur ferè sexcenti.

NOVI templi fabrica egregiè affurgit, vt mirentur omnes vno anno tantam molem à fundamentis erectam. ad celeritatem iuuit Magnificæ Domine Heleuz de Thovvar munificentia, quæ hoc anno promissioni suæ mille quingentos taleros addidit, cum anno superiore centum supra quatuor millia dedisset. Primus lapis pro fundamento turris positus est 21. Martij, ad cuius perfectionem



tionem Barones aliquot subsidium dato chyrographo promiserunt. Sacristia rebus preciosis aucta est. Bibliotheca nouis libris, quorum precium ducentos taleros ex elemosyna acceptos excedit. In pagis nostris duo ruinosam templa restaurata. Illustrissimus Dominus Franciscus à Dietrichstein Cardinalis, & Episcopus Olomucensis, vt felicius regimen auspicaretur, indictis per dioecesim ieiunijs, solemni supplicatione, & 40. horarum precibus, in Cathedrali S. Petri Ecclesia à Deo flagitatum est. Adfuerunt precationi nostri Patres cum Nouitijs, non sine commendatione, quod singulis horis quatuor in loco, alioqui à domo sat distito, adesse nisi sint. Accepimus opportuna occasione statuum S. Petri ligneam eò libentius, quòd vna sit. ex ijs, quas vir quidam nobilis ad voluntatè vxoris hæreticæ olim templo exturbarat, non sine vindicta Numinis. Vxor enim quæ per risum statuas aures habere dicebat, & ora, nec tamen audire, aut loqui, omnes proles, quæ etiamnum viuunt, surdas, mutasque peperit: sed de his alijs annalibus dictum est.

NARRABO ad finem quod iure triplicis loco miraculi sit, triplex beneficium intercessione B. P. N. Ignacij vni è Nostris collatum, quod ille ipse qui accepit, ita suadentibus, ac volentibus Superioribus, scripto consignauit. Docturus erat is, de quo loquimur, Superiorum voluntate Poësim, quod dum perficere impensius cogitat, periculoso anni tempore (October erat) perniciofa febris correptus, dolore capitis adedè diuexatus est, vt necesse fuerit eum à cæteris, ne morbi contagione inficerentur separare: iam verò phantasmatis penè continuis occupatus delirabat, somnum ad multas hebdomadas vix vllum capere poterat. Febri verò ardebat ita graui, vt cibus omnis desperet, fastidiret omnia. Humanis ergo destitutus remedijs placuit, Superioribus, vt ad diuina se conuerteret: legebantur Nostris miracula, quæ Deus per

B. P.



B. P. N. Ignatium patrauerat, visum est uti & aegrotò B. P. N. Ignatij afferretur imago: allata fuit illa una cum apposita subscriptione propria ipsius manu expressa, quam ubi exosculatus fuisset, spe valetudinis concepta, mirabiliter simul, ac celeriter deficiente morbo recreatus est. Laborabat non multò post dolore capitis aliquanto, grauiore, subijt desiderium osculandi eo, quo prius modo sancti Patris cum effigie subscriptionem, quod ut fecit malum capitis quod patiebatur sensim abscessit. Tertio demùm, cum lento languore membra conciderent, ut nullum prope illorum haberet usum, neque federe posset, aut cubare, ad consuetum recurrens patrocinium, petiuit sacræ imaginis, & subscriptionis B. P. Ignatij osculum, quo molestus ille languor illo pene inscio euauit. Insigni ergo in suum, Societatifque parentem, fiducia, & Numinis beneficio paulatim resumptis viribus, & formare gressus cœpit, & incolumitatem pristinam recuperauit.

## MISSIO MEZERICENSIS.

**M**EZERICIVM ciuitas est penè ad fines qua Bohemiæ Morauia coniungitur, à duobus fluuijs, quibus in vnum concurrentibus vtraque clauditur, paululum deflexo patrij sermonis vocabulo appellata, non quidem præcipuis huius Marchionatus annumerata, populata tamen, & in primis ob hæresim hæctenus celebris, nam cui alibi sectam suam tutò profiteri non licebat, huc se tanquam ad asylum perfidiæ conferebat. Mag. D. Ladislaus Berka supremus Morauia Camerarius, Catholicæ amans religionis, duos  
e No



Nostros obtinuit, quorum opera seductis infeliciter  
 hominibus in sua ditione prouideret. Aded enim Catho-  
 licæ veritatis memoria oppressa erat, vt præter vnam,  
 alteramque imaginem, quæ priscam fidem refricaret,  
 non esset vestigium. Atque vt illud etiam quod resta-  
 bat penitus tolleretur, Senator quidam inter Magistra-  
 tus primus cum tribus similis farinae ducibus contra-  
 nit. Res acta in hunc modum est. Obseratis templi fo-  
 ribus qui è quatuor iconoclastis ædituum egerat, admo-  
 tis scalis trabem conscendit, quæ sacram Crucifixi ima-  
 ginem sustinebat, & populo venerandam proponebat:  
 deijcit primò B. Virginis effigiem, & S. Ioannis, tum sa-  
 cram crucem trahi fortius inhærentem securi succisam,  
 velut insanus deturbat: alij ne nihil agere viderentur  
 ferra in tres dissecant partes, atque malo ædis curatori  
 flammis absumendam tradunt. Nondum perfectum erat  
 quod moliebantur opus, ecce tibi vnus vxor foemineo  
 vlulatu forum replet, internas angustias, & viscerum do-  
 lores queritur, atque tandem grauissimis quasi fatigata  
 cruciatibus ad ædes principis illius Iconoclastæ con-  
 fidet. Ibi rei nouitate exciti, ad ædem sacram accur-  
 runt, clausas concutiunt fores, malefactorem euocant,  
 rogantque vxoris miserè eiulantis miseretur. Ille quam-  
 uis nihil territus vxorem adit, quæ cruciatuum quodam-  
 modo immemor execrandam duntaxat mariti icono-  
 machiã deplorat, & ad extremum obtestatur, ne demo-  
 liatur id quod maiores posteris ad memoriã excitassent.  
 Sed hominem malè pertinacem nec sui miseret, nec vxo-  
 ris. Ad facinus ergo redit, quod cum socijs inchoarat,  
 cum iisdem prosequitur. Residuum è sacra cruce secan-  
 dum erat adhuc, sed repentino tremore membra stupet,  
 vultus nigrore suffunduntur, malefactores viribus de-  
 stituti conquiescunt. Tùm quasi curatis corporibus ac-  
 censis mutuo animis cœptum peragunt, & absoluunt  
 scelus.

E-

ad fines  
 à duobus  
 vtriusque  
 patrij ser-  
 uis huius  
 in primis  
 tam suam  
 d. asyllum  
 supremus  
 nis, duos  
 è No



scelus. Verùm qui sacratissimæ Passionis memoriam ferre non poterant, nec Deus diu tulit sacrilegos, nam brevissimo tempore tres mortem subière cadaveribus ad eò foedis, vt omnes iudicarent iusto Dei iudicio fuisse castigatos. Vt verò ad hoc hæreticæ perfidiæ malum huius loci incolæ peruenirent, iuuit excitatum celebre sacrum gymnasium, pro quo noui Professores VViteberga euocati facillè fauentem carnali doctrinam disseminarunt. Hoc igitur Aprili mense duo è Nostris missi sunt vt altè radicatum hæresim euellerent, cuius euellendæ prima inia ratio est, si matrimonium contrahentibus Sacerdotalis denegaretur benedictio, nisi prius ritè confessi sacra Eucharistia refecti fuerint: quod Decanus, & Nostrorum, & Religionis amans constanter simul, & feliciter profecquitur: tum sine spiritali viatico decedentibus sepultura in loco sacro: non confessis verò campanarum pulsus negaretur qui publicis flagitijs notati morerentur, ne hæretica quidem digni sepultura ad loca profana abijcerentur. Concionibus quas vnus è Nostris in ciuitate facit, alter verò in pagis, respondit fructus. Nam confessiones hoc semestri auditæ ducentæ quinquaginta tres: quarum centum, & duæ fuère generales. Recens conuersi magna tranquillitate animi risus, & iniurias ferunt. Nobilis quidam Magnificus, Nostris zelo adductus, duo templa sui dominij olim ab Hæreticis violata, aqua, quæ Gregorianam vocant, in sanctitatem restitui passus est. Eiusdem Magnifici opera tres parœciæ, Ecclesiæ Catholicæ sunt redditæ. Erecta domi tria noua altaria ijsdem quibus ante fuerunt locis, quæ à virginibus, & matronis recens conuersis suppellectili pretiosa ornantur, & vestiuntur. Crucifixi, aliorumque Sanctorum statuę comparatæ: maius altare emendatum, insignique imagine Beatissimæ Virginis decoratum. Catus vernaculę linguæ hæreticus à tēplo amadatus, imo & à domibus inhibitione

Magni



Magnifici, cuius neglectores dederunt pœnas. Tres gra-  
uiter infirmi post sacrae synaxis sumptionem, in pristi-  
num vigorem miraculosè restituti. Multum promouit  
nostros conatus Illustrissimus Nuncius, & Apostolicus  
ad Imperatorem Legatus, qui aliquantisper hic subsiste-  
re voluit, publicisq̃ue sacrum Missæ officium ad nouorum  
Catholicorum consolationem peregit: sacram insuper  
indulgentiam, benedictionemq̃ue Pontificiam omnibus  
præsentibus liberalissimè est impertitus.

COLLEGIVM CLAV-  
DIOPOLITANVM, IN  
Transyluania.

**R**ERORI nobis fuit simul, & dolori, pri-  
mum Serenissimæ Mariæ Christiernæ abitus è  
Transyluania Catholicis, hereticisq̃ue luctuo-  
sus, deinde trium Principum quos hoc anno  
habuimus incertus dominatus, quibus perturbationibus  
Societas quidem afflicta est, sed non deiecta. Nam cum  
Serenissimus Sigismundus Illustrissimo Cardinali An-  
dræ Battoreo principatum traderet, Collegium no-  
strum Albæ Iuliæ anno superiore hæreticorum factioni-  
bus dissolutum, summo omnium ordinum consensu, ma-  
gna Societatis commendatione restitutum est: septem  
omnino mensibus à quo fuerat decretum, vt disturba-  
retur. Schismaticus verò Princeps Michael Vaiuoda, vbi  
nomine Cæsareæ Maiestatis Transyluaniam occupasset,  
nec esset aliquis, qui non formidaret. Societatem ramen  
nostram beneuolè complexus est, & Superiori Collegio  
dixit palam, se Nostros contra omnes aduersarios pro-  
tecturum. In hac Vaiuodæ irruptione Illustrissimus Car-



dinalis vigesimo octavo Octobris primum victus, post  
31. eiusdem à rusticis in syluis, Moldauiam petens, inter-  
fectus, postremò 24. Nouembris in Comitijs eo, quo  
per tempus licebat, honore sepulturæ datus est. Sacrum  
Missæ officium peregit Reuerendissimus Episcopus ele-  
ctus: ipse Illustrissimus Michael Vaiuoda & facem mo-  
re Catholico prætulit, & officio interfuit. Valetudo No-  
strorum tentata est variè, vnum tamen Ioannem Leyn-  
berer, virum obedientiæ virtute insignem, strenuum So-  
cietatis operarium vis morbi abstulit, reliqui, quorum  
Claudiopoli sunt 28. Albæ Iuliæ 5. munia Societatis  
alacres obeunt, non sine multorum salute. Sacræ con-  
ciones in populi frequentia habentur duæ, Hungarica,  
& Germanica, docetur Catechismus. Centum sexaginta  
duo veram pro perfidia acceperunt fidem. Adulti sacro  
fonte abluti sunt quinquaginta nouem, ex quibus Turca  
quinque. Confessiones frequentiores quàm alias: totius  
vitæ ducentæ. Vni foeminæ periculosa laboranti febre  
confessio remedium attulit. Duo studiosi confessione &  
Agnò cereo spectris, & dæmonum terriulentis libe-  
rati. Quidam Arriani hæresi vale dixerat, sed hæredita-  
tis amore Arriani fratris opera ad ingenium, & perfidiam  
reuerfus, sensit illicò diuini numinis iram. Nam  
in grauisssimam ægitudinem incidens, humano destitu-  
tus remedio, non prius à morbo recreatus est, quàm ad  
Ecclesiam animum adiecisset: quod vbi fecit, metu mor-  
tis liberatus, ad pristinam valetudinem redijt.

EXCVRSIONES præcipuæ factæ sunt duæ. Al-  
tera ad Magnificum Dominum Christophorum Kerezeuri  
singulare non Societatis modò, sed Catholicorum om-  
nium præsidium, qui post aliquot mensium afflictam  
valetudinem, æquo animo toleratam moriens, & a-  
nimam, & cum coniuge filiam Societati commenda-  
uit, vt quandoquidem (ita fatebatur) filiam Socie-  
tatis




ratis precibus à Deo accepisset, eadem Societatis consilij educaretur. Clausit piè diem vigesimo octavo Maij, cui Societas concione, & studiosi sua præsentiâ iusta honorificè persoluerunt. Altera ad virum nobilem, Catholicum, & Societatis amicum, cuius coniux frustra obnitente matre Calviniana, veritatem Religionis Catholicæ agnuit, & accepit: cum ea verò 25. de familia vel conuersi, vel in fide débiles confirmati. Varadinenses plerique ob cladem, & obsidionem Turcicam profugi, diuina hîc officia deuotè, & piè frequentant, rogantque supplices, vt Varadinum Patres reuertantur facturi, Deo propitio, propediem, cum & à Capiteo arcis Catholico, & ab Episcopo Varadinensi, ciuibusque Catholicis inuitentur.

EXERCITATIONES scholasticæ quamuis nunquam intermissæ, numerus tamen auditorum tot afflictionibus imminutus est, vt è trecentis quinquaginta, vix interdum numerentur ducenti. Præter humaniores classes, & Philosophiæ vna, casuum, & controuersiarum duæ, omnium in litteris, & pietate progressus spem nobis addit non exiguam. Vnus Coadiutor iuuenis bonus Societati additus: plurimorum qui expectant voto aliquando fiet satis.

---

## COLLEGIVM ALBÆ IVLIÆ.

OLLEGIVM hoc magis tumultus intestinos, & varias Transyluanicæ vicissitudines sensit, quàm Claudiopolitanum, vt maior fuerit occasio patientiæ, quàm in animarum lucro laboris. Nam cum in dominatu Vaiuodæ commu-



nis res esset, omnis tam sacra, quam domestica suppels  
 lex in pago Collegij à militibus direpta cum vino, tri-  
 tico, & alijs rebus necessarijs perijt: ex bonis vero in  
 fundatione Collegio assignatis quædam adempta sunt,  
 quæ speramus vt breui restituantur. Factum nihilominus  
 aliquid ad animarum salutem. In pago quidem nostro  
 40. hæresim Caluinianam deseruerunt, inter quos oppidi  
 fuit minister: in alio verò sex hæretici reducti, ad  
 duo baptisati. Nobilis foemina multis annis in hæresim  
 pertinax, quamuis virum haberet Catholicum, tandem  
 Ecclesie nomen dedit, & in frequentandis sacramentis  
 est assidua. Bis hoc anno 40. horarum preces in Colle-  
 gio habitæ ob tumultus Prouinciæ.



COLLEGIUM  
 ALBA IULIAE

PRO  
 OLIVM hoc magis tumulus inre-  
 & vasis Transylvanice viciuibus  
 tenuit, quæ Claudopolitani, vt maior  
 fuerit secundo patens, quam in animarum  
 nam cum in domibus viciuibus conuen-